



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XXXV. De Statu Monachorum, Et Canonicorum Regularium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

# TITULUS XXXV.

## DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

**R**ecedentibus Titulis actum est de Regularibus, quoad eorum ingressum in Religionem, quæ & Conversio dicitur; consequenter de votis eorum, & professione; nunc verò de eorundem statu, & conversatione subiicitur

### CAPITULUM I.

#### Theodosius.

##### PARAPHRASIS.

Episcopus, cui Monachi subditi sunt, Presbyterum ipsis providere debet, à quo Sacrificia, & Sacramenta percipiant; sed nec Episcopus, nec Presbyter ille oneribus, vel exactionibus monasteria aggravare debet; ut etiam habetur in *c. nimis 16. de excessibus Pralat. c. quam sit 5. causa 18. q. 2.*

### CAPITVLVM II.

#### Monachi.

##### PARAPHRASIS.

Non recipiantur Monachi in monasterium pro pretio, nec permittantur habere peculium; neque in oppidis, aut villis per parochiales quascunque Ecclesias singuli habitare permittantur, sed in majore Conventu, vel cum fratribus aliquibus maneat; neque soli inter seculares homines versentur. Qui peculium habuerit, nisi Abbas ejus administrationem ipsi permisserit, ab altaris communione

removeatur: qui in extremis cum peculio fuerit inventus, & dignam pœnitentiam non egerit, oblatio pro ipso non fiat, neque Ecclesiasticam inter fratres habeat sepulturam; idque in omnibus Religiosis observandum, Abbas verò, qui in talibus cavendis negligens fuerit, ab officio amoveatur. Prioratus & obedientiæ pro pretio non tradantur; alioqui tam dantes, quàm accipientes ab officio, vel ministerio deponantur. Priores autem, cum in Ecclesijs Conventualibus per Capitulum electionem constituti fuerint, mutari non debent, nisi ob manifestam, & rationabilem causam, videlicet, si fuerint bonorum dilapidatores, aut incontinententer vixerint, vel simile quid egerint, vel denique, si ob necessitatem majoris administrandi officij, cum Fratrum consilio transferendū sint, Ita Alexander III. in Con. Gen.

##### SUMMARIUM.

1. Pro professione non potest aliquid recipi, ut pretium.
2. Quomodo peculium Religiosus habere possit?
3. Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, sunt veri Pralati.

**N**otandum primò. Pro professione, aut receptione in Religionem non potest aliquid accipi ut pretium; at verò pro sustentatione personæ aliquid accipere, non est per se illicitum. Hanc rem fusè tradidi *l. 4. t. ult. c. ult. n. 39.* ubi dixi, permittum id esse, si monasterium inopiâ prematur,

aut

aut consuetudo obtineat, ut quidpiam nomine dotis, aut sustentationis accipiat, sicuti in monasterijs Monialium fit.

2. Notandum secundò. Religiosus peculium habere non potest, nisi quoad administrationem, & usum à Superioris libera voluntate dependentem, qui eidem auferre, & concessum usum arbitrato suo revocare possit. Ita *hic & inc. 8. hoc tit. explicavi l. 4. t. 5. c. 7. n. 12.*

3. Notandum tertio. Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, sunt veri Prælati, & dignitatem habent, sicuti Abbates *c. 1. de præb. quomobrem amoveri non possunt c. nullam q. causa 18. q. 2. nisi ob dilapidationem bonorum, incontinentiam, vel aliam causam Canoniam, uti docui in c. 4. §. de adu-terijs, de judicijs, & habetur infra in c. 6. §. quòd si hoc tit.* Alij autem sunt Priores claustrales, de quibus in *c. cit. 8. qui obedientiarj sunt, ad nutum Abbatis amovibiles, cum impossibile sit, ut aliquis in monasterio Monachus sit, cui Abbas, & Conventus commiserit officium, aut administrationem, & non sit obedientiarj, atque amovibilis à Prælato cit. c. 8. §. nec alijci & cit. c. nullam, & notat Gloss. hic verbo perpetuo.*

Notandum quartò. Monachi soli habitare non debent in parochijs, ut *hic & in c. ult. de capellis Mon.*

## CAPITULUM III.

## Recolentes.

## PARAPHRASIS.

Monet Alexander III. Cistercienses 1. ut regulam servent secundum primam institutionem. 2. Præcipit, ut domus Religiosa Cisterciensibus aggregata eorum mores servet.

## SUMMARIUM.

x. De Cisterciensium instituto.

2. Paupertas plurimum confert ad perfectionem consequendam.

3. Abusus privilegiorum tollit ea.

NOTandum primum. Ordo Cisterciensis, licet regulam S. Benedicti tenent, majorem tamen paupertatem, & austeritatem adjecit anno Christi 1098. sub Roberto primo Abbate monasterij in Sylva Cistercium constructi: postea S. Bernardus cum annum Christi 1113. Claravallense monasterium, & alia plurima ejus Ordinis fundavit, ut tum ob hanc causam, tum ob certitudinem ejus sanctitatem Cisterciensium communis ejus habitus sit. Legi potest *Rodriguez t. 4. de Relig. l. 2. de varijs, c. 3. n. 3.*

Notandum secundum, Cisterciensium Monachi olim non poterant possidere beneficia altarium, aut parochias, nec decimas, molendina, villas, neque habere ruitos, aut jurisdictiones in subditos, neque sepulturas externorum in Ecclesiis accipere; quare ob hanc paupertatis professionem, aliasque regulæ austeritates, Ordo Cisterciensis inter omnes alios, qui S. Benedicti regulam profitentur, arctissimus censetur, secundum Gloss. in *c. non est 7. de reg. At verbò progrediente tempore Romani Pontifices permiserant, ut Cistercienses ea, quæ supra dixi, videlicet molendina, villas, Vici, Ecclesias &c. possidere possent, uti videtur est apud *Rodriguez t. 3. reg. q. 77. n. 4.**

Notandum tertium. Paupertas est mater, & auctrix Religiosi instituti, & plurimum confert ad perfectionem consequendam; hæc enim in charitate consistit, paupertas autem charitatem conservat, at verò cupiditas rerum terrenarum extinguit; quamobrem *Greg. XIII. in extrav. Ascendite* ait, paupertatem esse Religionis mortuum, & propugnaculum, & *S. Thomas 2. 2. q. 189. a. 3.* primum Religionis fundamentum esse esse paupertatem voluntariam, consequenter inter causas, ob quas Religio à primò fervore deficere solet, principem locum tenet paupertatis relaxatio; sicut *S. Bonaventura* & alij testantur apud *Antonium Perez* Reg.

Reg. S. Benedic̃ti c. 58. n. 39. Sanchez tom. 2. l. 6. mor. c. 18. n. 7. & videri potest Tribemius de Viris illust. c. 8. per paupertatis enim studium Religiosi à rebus terrenis abstracti, Deo se committunt specialius, atque ejus providentiã reguntur, atque augentur.

Notandum quartum, Si quibus ob specialem rationem, in ipsis perspectam, specialia privilegia concessa sint, ij verò ab ea ratione, aut vitæ instituto recedant, privilegia data amittere debent, atque communi cum alijs jure ceteri; nam tunc cessat finis, & causa concessionis: atque iste est quidam abusus privilegiorum, prout docui l. 1. tr. 4. c. 22. n. 24. ex quo fundamento jureconsulti dicunt, quòd studiosi in Academia, si non studeant, nec conventus frequentent, studiorum privilegij non gaudeant.

Notandum quintum, Non tantum singuli Religiosi, sed etiam tota Religioforum communitas transferre se potest ad Ordinem strictiorem, ejus habitum, & regulam assumendo, & ita ampliatur c. licet 18. de reg. & docet Abbas hic num. 2. Sanchez 2. Mor. l. 6. c. 7. n. 7.

CAPITULUM IV.

Super.

PARAPHRASIS.

Aliquis Canonicus regularis, qui in morte proprium contra regulam retinuisse inventus fuit, rursus à Priore monitus fuerit, ut resignaret, inter alios fratres sepulturam accepit: de hac re interrogatus Clemens III. respondit, quòd Canonicus iste non tantum Christianam sepulturam privari debuisset, sed etiam modo, si sine magno scandalo fieri potest, ab ipsa Ecclesia proijci; id verò si in posterum contingat, in similibus casibus agendum.

SUMMARIUM.

1. Regularis proprium habens in morte non debet in loco sacro sepeliri.

2. Quando exhumandis non sint male sepulti in loco sacro?
3. Rescripta Principum an ad similes casus se extendant?

Notandum primum. Si regularis proprium habere in morte repertus sit, non debet in loco sacro sepeliri, imò si sepultus est, exhumandus & abijciendus est. Adverte, quod dixi, si repertus sit; necessarium enim est, ut de facto, seu crimine cognoscatur, ideòque non tantum materialiter pecuniam illum habuisse penes se, sed quòd ut propriam tenuerit, atque ita, ut factum hoc nulla probabilitate à Religioſæ paupertatis violatione excusari queat. Ita Barbosa hic.

Notandum secundum. Si corpus contra sacros Canones scienter, aut ignoranter loco sacro sepultum sit v. g. hæretici notorij, usurarij, Religiosi proprietarij, & sine gravi scandalo exhumari, sive ossa ejus extrahi, & abijci non possint, relinqui debent. Ita notant Innoc. And. & Abbas hic.

Notandum tertium. Si Princeps super aliquo casu consultus rescribat, ad eundem modum in similibus postea casibus procedi potest, & debet, ut hic dicitur, & in Legge ff. de const. princip. dummodo talis princeps sit, qui solus absque proceribus, seu paribus regni, legem communem condere possit.

CAPITULUM V.

Quod Deo

PARAPHRASIS.

Plebanus S. Gabini officium suum resignans, coram Canonicis Regularibus promissionem fecit, de suscipienda Religione; sed Parochiani ejus, considerantes eum laudabiliter præfuisse, ab Episcopo Florent. impetrarunt, ut ibidem curam parochiæ retineret; sed & Apostolicæ Sedis legatus petitioni eorum annuit, atque ipsemet quoque monasterij ejus Prælati manendi licentiam dedit; quam obrem

Kkk

obrem

obrem parochiani ab *Innoc. III.* petiverunt, ut quod à Cardinale, Legato, & Episcopo, concessum fuit, ratum haberet. Respondet Papa, licet in *Conc. Latera. sub. Alexan. III. supra in c. 2. hoc tit.* cautum sit, ne Monachi per villas, & oppida, in quibuscunque parochialibus Ecclesijs ponantur singuli, quia tamen id specialiter non cavetur de Regul. Canonicis, qui, licet à sanctorum Monachorum consortio alieni non reputentur, tamen regulam laxiorem habent; sed & ipsi Monachi secundum antiquiores Canones ad Ecclesiarum parochialium regimen, atque presbyterium ordinari possunt, eò quod prædicationis officium, quod privilegiatum est, exercere oporteat: idèò huic postulationi se annuere hac conditione, ut dum plebani officium exercet, unum Regularem Canonicum secum habeat ad cautelam, si commodè fieri possit, ut illius in his, quæ Dei sunt, & regularis observationis consortio, & solatio perfrui possit.

## SUMMARIUM.

1. Possunt supplicare Parochiani Episcopo pro retinendo suo Parocho, qui utiliter officium suum præstat.
2. Resignatio beneficii, quæ non fit in manibus Superioris legitimi Ecclesiastici, suspensa est ad arbitrium Superioris.
3. Quæ de Monachis, sub statûs Religiosi ratione, in jure statuuntur, de Religiosis omnibus in commune viventibus intelligenda sunt, nisi specialia obstant.
4. De antiquo jure poterant Monachi cura animarum, extra sua monasteria, in secularibus Ecclesijs præfici, si utilitas, aut necessitas exigebat, quod de jure hodierno non licet.
5. Canonicus Regularis seculari parochia cum debita licentia præficiatur, socium tamen, qui ejusdem Ordinis sit, secum habere debet.

PRO intellectu cap. adverte, quòd plebanus iste promissionem, sive votum à Prælato acceptatum, ediderit de professione facienda, postea verò petiverint Parochiani, ut post voti executionem, sive susceptum habitum, editamque professionem solennem, officium parochiale retinere possit:

Notandum primò. Parochiani mittendum, ut per modum supplicationis instent apud Episcopum, ut curatus qui officium utiliter præstitit, ab ipsius removeatur; cujusmodi petitioni attendendum erit, nisi major utilitas, vel necessitas amotionem postulet, vel impeditur curatus, eà ex causâ petat, ut Religionem ingrediatur, tunc enim impediri non debet. *c. 2. causa 9. q. 2.*

Notandum secundò. Si Beneficium beneficium resignet propriâ auctoritate in manibus Superioris, jus, & efficacia designationis, est suspensa; pendet enim ex hoc, num Superior resignationem acceptare, an verò ad manendum compellere velit. Ita hic *Innoc. & Abbas n. 4.* & citat in c. quod in dubijs 8. de renuntiatione.

Notandum tertio. Licet, quæ de Monachis sub ratione statûs Religiosi in jure statuta sunt, etiam ad Canonicos Regulares, & omnes Religiosos in communis viventes transferri debeant, argum. c. 2. l. 111. & notavit hic *Hofst.* secus tamen est de eisdem de ijs, quæ de Monachis decernuntur, ob speciale eorum Institutum, quod Regularibus Canonicis distinguntur, quod delictet, ut magis vitæ contemplativæ, & strictiori disciplinæ addicti sint, quare Pontifex hic ait, quod de Monachis est decretum, ne ad Parochiales Ecclesias promovantur, id ad Canonicos Regulares non est transferendum.

Notandum quartò. Secundum antiquos Canones concessum erat, ut Monachi in monasterijs evocarentur, & Ecclesiarum curæ præficerentur, si Ecclesiæ necessitas vel utilitas postularer. *c. in parochia 37. c. 1. pro 34. c. ne pro cujuslibet 37. causa 11. q. 1.*

## Cùm ad Monasterium.

## PARAPHRASIS.

Innocentius III. quinque hic puncta de Monachis decernit, quæ etiam confirmata reperies in *Clement. ne in agro S. ult. hoc tit.* Primò circa vestes, ne lineis utantur: qua de re videri potest *Rodriquez tom. 2. regul. q. 27. a. 1.* & plura in citata *Clementina*, & in *regula S. Benedicti*. Secundò, De paupertate, non proprium aliquis habeat &c. Videri potest *S. Gregor. M. L. 4. Dialog. 6. §. 5.* Adijcit verò Papa hic, si alicui Monacho (eademque est ratio aliorum Regularium) specialiter aliquid datum fuerit, ut Abbati, Priori, vel Cellario resignet; videri potest *regula S. Benedicti 33. & 34. & quæ dixi l. 4. tr. 5. c. 7. q. ult.* Tertiò, De silentio servando, maxime in oratorio, refectorio, & dormitorio, prout videre licet in declaratione circa regulam *S. Benedicti 52.* ubi additur, pars quædam Claustri, circa Capitulum, id est, in ambitu, uti ait Trithemius in decretis rubrica hujus Capituli. Quartò, De cibis, carniæ abstinencia, & de infirmis; videri potest *Reg. S. Bened. 34. 36. & sequentes.* Quintò, De administrationibus, & officijs committendis, & ut ij, quibus committuntur, sint fideles ac discreti, atque ita commissio fiat, ut cum oportet, sine contradictione revocari possit; videri potest *Sanchez cir. c. 29.* ubi rectè monet *n. 112.* licet ejusmodi obedientiarj ad nutum Abbatis revocari possint, non tamen morte ejus revocari, prout etiam docui *in c. ult. de precario, & n. 115.* licet contra Abbatem amoventem agere non possit obedientarius, posse tamen agere contra alium, si quis eum amoveat, aut expellat, cum verè possideat, ideòque de spolio, si pellatur, agere possit; idemque dicendum, si Religiosus vestibus, aut libris spoliatur,

Kkk 2

non

Ratio erat, quòd officium prædicandi, seu cura animarum esset privilegiata, ut ob eam Monachum à contemplatione, & solitudine sua revocare liceret; postea verò id immutatum fuit quoad Monachos, ut absque dispensatione, Parochijs præfici non possent, si eæ à Conventu, aut Societate Fratrum sejunctæ essent, manente pristino jure quoad Regulares Canonicos, uti constat *ex hoc c.* At verò spectato isto tempore, neque Regulares Canonicos ad Ecclesias Parochiales, aliàsve sæculares curas (multò minùs ad beneficia simplicia) absque Papæ dispensatione promoveri posse, docent DD. nominatim *Barb. hic n. 3. Sanchez l. 7. mor. c. 29. n. 7. 1.* & dixi de hoc *l. 4. tra 3. c. 4. n. 2. & in disp. de Pralat. q. 204. in fine.*

Notandum quintum. Si Canonicus Regularis Sæculari Parochiæ cum legitima auctoritate (videlicet Pontificia secundùm hoc tempus) præfectus sit, socium Ordinis secum habere debet, si id commodè fieri possit: idemque eadem ratione dicendum de Monachis, aliisque Religiosis, prout docet *Gloss. in Clement. 1. S. ad hac verb. claus. hoc tit. And. hic n. 17.* ubi ajunt, id non esse simpliciter necessarium, eò quòd talis Religiosus ab observationibus Ordinis magna ex parte liber sit, licet habitum deferre debeat. Qua de re dixi *l. 4. t. 2. s. c. 1. prope finem.*

Si autem Ecclesia parochialis unita sit monasterio, & in ea collocetur Religiosus à Prælato suo, ut sit tanquam Vicarius obedientiarj, tunc major ratio est, cur socium Ordinis secum habere debeat, cum ab obedientia, & observationibus Regularibus minùs liber sit, quàm si in Ecclesia sæculari Parochus esset, prout *Gloss. & Ioan. And. citatis locis* notant. Vide etiam *cap. ult. & penult. de Capell. Monach.*

\* \* \*

non à Prælato, qui auferendi jus habet, sed ab alio, idq; constat ex dictis *in cit. c. ult.* Quintò, Prior claustralis præ cæteris post Abbatem potens sit in opere, & sermone, ut exemplo vitæ, verbòque doctrinæ Fratres suos instruere possit in bono, & à malo amovere, zelumque Religionis habeat, secundùm conscientiam delinquentes corripjat, & castiget, obediens foveat, & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, frequenter sit cum Fratribus in conventu, & vigilem curam, ac sollicitudinem de omnibus gerat; si prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, vel negligens, aut remissus, à Prælatura deponendus, & aliter secundùm regulam castigandus est. Nec potest Abbas super habenda proprietate cum Monacho dispensare, eò quòd abdicatio proprietatis (sicuti & custodia castitatis) intrinseca sit statui Monachali, sive Religioso, ut in ea nec Papa possit dispensare: intellige, fieri non posse, ut manens Religiosus proprium habeat, vel continentiam non seruet, aut Prælato obedire non debeat, nam hæc sunt de essentia statûs Religiosi, ideòque impossibile est, removeri in sensu composito, videlicet, ut verus Religiosus existens proprietatem habere possit, vel uxorem ducere; interim potest Pontifex ex justa, & necessària causa dispensare in voto Religiosæ professionis, eòque relaxato potestatem concedere, uxorem ducendi, proprium habendi &c. imò hæc relaxato voto per se licent. Qua de re videri potest *Barb. hic, Sanchez l. 4. Mor. c. 1. n. 16.* & quæ dixi *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 8.*

## CAPITULUM VII.

## In singulis.

## PARAPHRASIS.

Innoc. III. in *Concil. Later. c. 12.* decernit de Capitulis Provincialibus, quolibet

triennio celebrandis, ad quæ Abbates omnes, Priores item, atque Præpositi proprios non habent Abbates, tum exempti, tum non exempti, venire tenentur. De his Capitulis agit etiam *Historia III. in c. sequente*, & plura videri possunt apud *Trit. in L. de cons. Capituli pro vin. in præfatione.*

## SUMMARIUM.

## Forma Capitulum Provincialium Regularium.

Capitulum horum Provincialium singulis triennijs congregandum est, & consuetudo, etiam in Germania viget, post *Concil. Constantiense*, videlicet ab anno Christi 1417. ferme usque ad annum Christi 1500. præsertim in Moguntina Provincia, uti videre licet apud *Tritemium in Chron. & in hb. de viris illust. c. 110 in cit. lib. de cons. Capituli Provincialium*. Et quidem 127. Abbatias sub uno Capitulo Moguntinæ Provinciæ fuisse testatur *Trit. de ruina ordinis c. 9. & c. 1.* ubi ait, conservationem Ordinis S. Benedicti, & Regularis disciplinæ incrementum, ex Provinciali Capitulo pendere.

Forma Provincialis Capituli celebrandi in his ferme consistit. Primum. Quædam Abbates constitui debent, qui Capitulo præsint, Prælationis tamen auctoritatem non habent, sed mutari possunt, aliique constitui à sequente Capitulo, ut docet *h. And. hic n. 5.* Alterum. Hi 4. prædictæ auctoritate Sedis Apostolicæ fungentes, convocant omnes totius Provinciæ Abbatibus, aliòsque Prælatos Ordinis ad unum, intra Provinciam, monasterium, uti videri est apud *Tritem. de forma, & modo celebrandi Capituli*. Tertium. Quod in Capitulo statutum fuerit, quatuor prædictis approbantibus, inviolabiliter celebratur, omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis, uti etiam testatur *Tritem. cit. c. 8. §. summa*. Quartum. Prædictis in Capitulo competit quoque

circa prætoritas visitationes indagent, visitatores negligentes, ad officium fideliter exequendum compellant; qua de re *Trith. de const. cap. Rubr. 3.* Item ut culpas contra Prælatos & alios delatas audiant, inquirent, & discutiant, infligant pœnas &c. ut idem *Trith.* loquitur *citata Rubrica. 3.* Item monasterium nominent, in quo post triennium Capitulum celebrandum sit. Denique durante adhuc Capitulo, novos officiales, videlicet præfidentes, & visitatores eligant (nam qui electi & constituti præfidentes sunt in cap. antecedente, in proximo præfidere, & dirigere non possunt) & postea alios officiales constituere debent. Uti *Trith.* explicat *Rubrica 4.* Quintum. Visitatores post finitum Capitulum ad monasteria, & prioratus totius Provinciæ, exempta, & non exempta, virorum, & mulierum, visitatione reformando, se conferant, Apostolica auctoritate, apud *Trith. de visitatione Monach. c. 32.* Sextum. Hæ visitationes fieri debent salvo per omnia jure Episcopi Diocesani, uti habetur hic, & notat *And. n. 8. Abbas n. 7.* & alij. Quare nullum Abbatem aut Præpositum, præfidentes ab officio, & administratione deponere possunt, sed ad Episcopum referre debent, si Monasterium exemptum non est, aut ad Sedem Apostolicam, si sit exemptum. Ita statuitur hic *S. ordinentur & c. sequente §. quod si Abbas,* & videri potest *Trith. de visit. Monach. c. 10.* Et ideò per visitationem dictorum Visitorum non impeditur Episcopus, quin etiam ipse visitare possit, ut tradit *Trith. eodem tract. c. 9. & 10.* & habetur hic, nisi Episcopus malit jus suum eidem Religiosis Visitoribus delegare, ut ij utraq; tum Apostolicæ Sedis, tum Episcopali auctoritate utantur, teste *Trith. in eodem tr. c. 7.* Ultimum. Quæ de Capitulis in Ordine S. Benedicti constituendis dicuntur, eadem quoque ad Regulares Canonicos S. Aug. transferri possunt, ut in *hoc cap.* expressum est *§. hoc ipsum.* At verò Ordines, qui caput generale, seu Generalem

habent, ejus jussu, & auctoritate visitari possunt, & solent.

CAPITVLVM VIII.

Ea quæ.

Eadem fermè statuuntur, & confirmantur, quæ in præcedente Capitulo posita & explicata fuerunt.

§.

Quod si.

PARAPHRASIS.

Si Abbas non exemptus à Visitoribus nimis negligens fuerit repertus, statim id Diocesano significetur, ut ab ipso assignetur fidelis, & providus coadjutor, usque ad proximum provinciale cap. Sin autem dilapidator sit, aut ob aliam causam amovendus, postquam Diocesano à Visitoribus fuerit significatum, amoveatur (supple per Episcopum) absque judiciorum strepitu, & interim monasterio provideatur administrator in temporalibus, donec fuerit de alio Abbate provisum.

SUMMARIUM.

1. Prælati regularis non est amovendus ob quamlibet negligentiam.
2. Sufficit tamen processus summaris pro illius depositione.
3. Administrator tamen in temporalibus constituendus est, si ob dilapidationem bonorum amoveatur.

Notandum primum. Non ob quamlibet negligentiam, & disciplinæ regularis neglectum Prælati regularis amovendus est; sed si fuerit magna, & supina, uti *Glossa* monet in *c. 6. verbo in omnibus hoc tit.* & sequitur *And. n. 7. argum. ejus textus & c. si quis 15. causâ 18. q. 2.* Cognoscetur autem

Kkk 3 supina



supina negligentia, si post admonitionem non emendaverit se.

2. Notandum secundum. Si agatur contra Prælatum regularem ad depositionem, processus planus, & summarius, inspecta rei veritate sufficit, sicuti hic habetur. Ratio est, quia Prælati regulares, & omnes Religiosi ab administratione facilius, & liberius deponuntur, quàm sæculares. *c. qualiter 24. in fine de accusat. c. per tuas 32. in fine de Simonia*, & notavit Gloss. hic verbo *absque iudiciorum strepitu*.

3. Notandum tertium. Si Prælatus ob dilapidationem bonorum vel magnam negligentiam amoveatur, interim dum alius constituitur, administrator in temporalibus ab Episcopo est ponendus; cum enim hoc in casu plerumque etiam Conventus suspectus sit, ne Prælato confenserit, non est tutum conventui administrationem relinquere, uti hic notavit *Ioann. And. n. 10. Innoc. in c. dilectus de accusat.* ubi ait, quod caput ægrotum malam facit præsumptionem de membris.

Videri etiam potest *Con. Trid. Sess. 25. c. 2. de regularibus*, ubi constitutio Innoc. III. præcedente *c. posita* renovatur, quoad monasteria, quæ immediatè Sedi Apostolicæ subdita, Visitatores regulares non habent, atque mandatur ibi, ut ea monasteria in Capitula redigantur.

### CAPITULUM VLTIMUM eodem in Sexto.

#### Periculoso.

##### PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Monialibus omnibus expressè vel tacitè professis præcipit clausuram perpetuam, ita, ut nulla ratione vel causa è monasterio egredi ipsi liceat, nisi constet, quod aliqua ob morbum contagiosum cum alijs sine gravi periculo aut scandalo habitare non possit, præterea ut nulli personæ ad Moniales ingressus, aut accessus pateat, nisi rationabi-

lis causa postulet, & ejus, ad quem pertinet, specialis licentia accedat.

##### SUMMARIUM.

1. *Que hodie circa clausuram Monialium observanda?*
2. *Ad quas personas pertineat decreti de clausura obligatio?*
3. *Quanam sint iusta causa concedendi licentiam Monialibus egredienti ex clausura?*
4. *Aut mutandi monasterium?*
5. *Quis sit Superior ad cognoscendam egrediendi rationem & dandi licentiam?*
6. *Quid prohibeatur, cum clausura Monialibus præcipitur?*

Hanc constitutionem pluribus in locis, aut non receptam, aut delictuine abolitam, renovavit *Trident. Sess. 25. c. 5. de regul.*

Circa priorem partem dubitatur primò, Ad quas personas pertineat hujus decreti obligatio? Respondetur, ad omnes & solas professas, uti explicat *Suarez. 1. 4. de relig. l. 4. de obligat. Religiosorum c. 1. n. 33. Unde inferitur primò cum Navar. 1. 3. Consult. 6. hoc. tit. edit. 2. virgines, quæ votum continentia habent, etsi collegiatæ vivant, imò etiam obedientiam voverint, si tamen rerum proprietatem teneant, non esse Sanctimoniales, ideòque ad clausuram non obligari. Secundò inferitur, eas Conversas, quæ trium substantialium votorum professionem non edunt, non obligari ad clausuram, De his videri potest *Bulla 1776. quæ incipit, cura pastoralis*. Tertio inferitur, novitios non obligari hac continuatione, ideòque cum Superiorum licentia egredi posse, v. g. propter valitudinis recuperationem, ita, ut annus probationis non interruptatur, si habitum retineant. Quod dicit *Suarez. n. 16.**

Dubitatur secundò, Quanam sint iusta causa concedendi licentiam Monialibus egrediendi ex claustris. Respondetur, quod

## De Statu Monachorum, & Canonicorum Regul. 447

Bonifacius hic unicam causam expressit, morbi contagiosi, aut ita comparati, ut cum alijs absque horrore, aut scandalo, quæ tali morbo tenetur, cohabitare non possit: quare cum adjecta sit clausula exclusiva, nulla de causa, nisi &c. exclusæ censentur omnes aliæ infirmitates, & morbi eisdem dissimiles, videlicet non contagiosi, seu communitati non intolerabiles, prout satis indicavit Pius V. in Bulla, cujus initium Decori, apud Sanchez lib. 6. Mor. c. 15. n. 31.

Secundum moralem vitæ cursum, rarissimum est, & valde extraordinariū, ut certò conster Monialē, si maneat in monasterio ex morbo, Morituram, egrediendo autem, vel ærem mutando non morituram. Sin autem ponamus talem casum contingere, tum fateor probabilem esse sententiam Guier. t. 1. Canoniarum c. 14. n. 7. Sanchez loc. c. quòd Episcopus egrediendi licentiam dare possit, cum leges humanæ de ijs ferantur, quæ communiter eveniunt, non de ijs, quæ in rarissimo casu, atque per Epyckiam propter naturalem necessitatem excepta ceteri debent *argum. legis 5. & lege 10. ff. de legibus*. Quibuscum consentit Pius V. in citata Bulla Decori, ubi excipit, causam magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemix, id est, morbi pestilentis, aliterque contagiosi: ubi adverte causam magni, seu periculosi incendij adjectam fuisse à Pontifice, non causâ innovandi, seu declarandi Tridentinam, ipsamque Bonifacianam constitutionem, eò quòd hæc sit manifesta, ex ipsa naturalis juris necessitate, concessa causa, cui æquiparari debent aliæ similes, v. g. si ob hæreticorum incursionem Moniales discedere debeant, propter doctrinam receptam apud Sanchez *cit. c. 15. n. 38.* quòd dictio taxativa non excludit casus similes, in quibus eadem, vel similis ratio militat; idque non tantum, si tale periculum omnibus communiter imminet, sed etiam si ponamus, periculum evidens imminere uni soli, nisi discedat, ut si conclave, in quo Monialis conclusa est, igne corripia-

tur, aut si à furiosa invadatur, nec possit salutem aliter consulere, nisi per fenestram se demittendo.

Præterea adverte, Pontifices Pium V. & Bonifacium VIII. exprimere tantum causas exeundi eo fine, ut revertendum sit in monasterium; quod verò attinet ad causas mutandi locum, aut transferendi se ad aliud monasterium, nihil hic declarat, sed communi juris dispositioni relictum est, ut videlicet Monialibus liceat vitæ melioris zelo Superioris petita licentiâ transire ad Ordinem vel monasterium strictioris observationis; item ut Monialis in alio monasterio fiat Abbatisa, vel magistra novitiarum, vel si monasterij mutatio à pluribus necessaria videatur, propter gravem discordiam; vel si Abbatisa egrediatur ad alterius monasterij fundationem, vel reformationem; aut si egressus necessarius sit ad homagium præstandum Domino feudi, si per procuratorem præstari non potest *S. verum hoc in Capitulo*. Denique si totum monasterium transferendum sit in locum commodiorem, v. g. ex rure in urbem, aut oppidum, ubi populi frequentia est, juxta præceptum *Trid. cit. c. 5.* & videri potest Sanchez n. 45.

Dubitatur tertio, Quis sit Superior, qui egrediendi causam cognoscere & licentiam dare potest. Respondetur, clarè id esse significatum à Pio V. in Bulla Decori, præter Prælatum Ordinis, cui cura monasterij incumbit, etiam Episcopi, alteriusve ordinarij quasi Episcopalem jurisdictionem habentis in loco, licentiam esse necessariam, tamen si Monialium monasteria alioquin exempta sint, ut videre est apud Sanchez n. 28. & Suarez *in cit. l. 1. c. 9. n. 12.* Est autem ab eodem Pio V. in *cit. Bulla* decreta excommunicatio ipso facto incurrenda, & Papæ reservata, adversus Moniales aliter, quàm concessum, ex claustro egredientes, & adversus licentiam concedentes, comitantes, ac recipientes; insuper privatio administrationum, & officiorum, & inhabilitas ad obtinenda, tum Monialibus, tum

licent

licentiam concedentibus videri potest Sanchez cit. c. 15. n. 63.

Quod attinet ad alteram partem huius Capituli, eam tractavi l. 4. tit. 5. c. 12. n. 2. & videri potest Sanchez cit. l. 6. c. 16. Suarez cit. l. 1. c. 10. qui bene monuit n. 7. omnem locum, seu hortum, seu conclave, quod Monialibus ingredi licet, esse intra claustrum, quandoquidem è claustro eis egredi nunquam est concessum, consequenter in omnem huiusmodi locum, alijs personis prohibitum est ingredi; ista enim est unica causa prohibitionis, ne Moniales cum alijs personis colloqui, aut conversari possint: quam ob rem etiam prohibitum est, ne janua ex Monialium monasterio pateat ad eam Ecclesiæ partem, in qua sæculares sunt, prout etiam ex hoc c. colligitur & ex Trid. cit. c. 5. quod ingredi intra septa monasterij nemini liceat. Verum non ita ubique per consuetudinem receptum esse dixi cit. c. 12.

Id quoque addendum, non esse prohibitum Monialibus, si Ordinis regula, & consuetudo permittat, ut famulas sæculares alant pro communibus monasterij servitijs, ita tamen, ut nunquam è monasterio egrediantur, donec omninò dimittantur: qua de re Rodriguez tom. 1. q. 44. n. 4. Concessum quoque, ut cum Episcopi, vel Superioris licentiæ puellæ in monasterijs recipiantur, & instruantur, etiam non habentes propositum Religiosi statûs: qua de re Rodriguez q. 46. a. 10. Suarez cit. c. 10. n. 21.

§. Sanè. Dicitur hic, quod in monasterijs non mendicantium non plures recipi possint Moniales, quam ex proventibus sine penuria sustentari possint. At verò in Trid. Sess. 25. c. 7. de regul. omnibus tam virorum, quam mulierum monasterijs, exceptis domibus Capucinatorum, & fratrum de observantia (in

qua tamen exceptione non comprehenduntur Moniales S. Claræ) conceditur, ut deinceps bona immobilia possidere possint, & additur decretum, ut in dictis monasterijs, & domibus virorum, mulierum, & seu bona immobilia possideant, seu non, is tantum numerus constituatur, qui ex proprijs redditibus, & consuetis elemosynis, non male sustentari possunt. Denique ut similia loca non erigantur absque diocelani Episcopi licentiâ, quia, ut statutum est in c. quidam 10. & sequentibus causa 15. q. 2. ad Episcopum pertinet, cognoscere, num monasterium, noviter erigendum, sustentationem in loco habere possit, saltem pro personis non minus 12. Idque si ex elemosynis vivere debeant, non fieri vult cum populi, & aliorum in eodem loco existentium mendicantium Religiosorum iusta querela, cum alioquin fiat, ut Religiosi, qui ante utcumque se sustentarunt, novis accedentibus, omnes perjuriam pariantur, quod est contra Concil. Trid. intentionem. Id verò rectè monet Navar. de rebus Ecclesiasticis q. 1. monito 62. Azor tom. 1. l. 13. c. 9. q. 1. nihil ob stare, quo minus præter numerum Monialium, qui ex redditibus illi possunt, recipiantur aliæ sufficienter dotatæ.

§. Porro. Qui præsumunt, Abbas, vel Monialibus permittere debent, ut per procuratores in iudicijs litigent.

§. Ulimus. Episcopi & Prælati Sæculariales, si contumaces sint, ad claustrum per censuras compellere debent, invocandi opus sit, auxilio brachij secularis: renovatum est in Trident. cit. c. 5. ubi dicitur, hanc potestatem clausuræ indicendæ Episcopis competere, in monasteria sibi subditi auctoritate ordinaria, in exempta verò ex Sedis Apostolicæ delegacione.

